



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 171. Videns autem Pilatus quod nihil proficeret. v. 24.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

alios feliciores se, in ipsis quoque spiritualibus rebus, per quas curari solet invidia. Humanum dico, sicut tu nosti Domine, propter infirmitatem veteris Adam, quam hæreditate acceperunt. Tu vero, Rex pacifice, qui sine invidia communicas bona tua nullius boni habens indigentiam, operaris mirabilia in humilibus servis tuis, qui adiuti fortissima virtute tua, quamvis in principio conversionis suæ tangantur infirmitate ista, præliando tamen & invocando te veniunt ad statum quendam felicissimum, in quo letantur proximorum suorum excellentia, non minus, aut fortasse magis, quam sua.

Da mihi hanc gratiam ut diligam proximum tanquam me ipsum; læter bonis eorum, quasi meis, beati enim viri, quorum anima non affligitur prosperitate aliorum neque dilatatur eorundem adversitate.

§. 171. *Videns autem Pilatus quod nihil proficeret. v. 24.*

Pilatus considerando verba Iudæorum & malitiam in respondendo quodque ex suis verbis, quibus conabatur liberare Christum ob innocentiam, nihil proficeret ob impulsam & suggestionem principum, atque ideo rationibus amplius non esset agendum, cum hoc populo irrationabili, tumultuante & malitioso, iudicabat ad impediendum tumultum & seditio- nem in populo, dimittendum Barabbam, & sic paulatim magis appropin- quavit ad voluntatem Iudæorum, & à sua recessit.

Quid agis Pilate? ut vitentur mala non sunt facienda mala. times tu- multum in populo, ideone vis consentire in malum morale? ideone cum populo iniquè agere? cave. Tu præses es constitutus, ille subditus: tu Iudex, hic accusator pessimus, tu prudens, ille imprudens: tu videns, ille cæ- cus; tu hæctenus iustus fovisti iustitiam, ille iniustus & veritatem odians: Noli desistere à veritate.

Domine, etiamsi contingat me nihil proficere posse apud proximum male agentem in concilio, curia, senatu, capitulo &c. verbis monitis, ora- tionibus, exercitiis piis, obsecro ne deficiam idcirco ego quoq; & recedam à iustitiæ via, quia tu eris remunerator meus, qui vides intentionem cordis mei.

§. 172. *Sed magis tumultus fieret. v. 24.*

Tumultus est ex actione discordantium quæ opinor accidit ex eo quod turba astantium Iudæorum coram tribunal clamaient Barabbam, dimit- tendum esse, & timerent ne non dimitteretur, sed loco eius Christus libe- raretur.